

rel: nemo cum ab hoc insano amore potuit abstrahere, non consiliarii boni, non pontifex, non excommunicatio, non precēs conjugis, non principum hortamenta et minæ, non plagæ Dei. Quare qui hunc onagram coercere vult, lumbos suos præcingere, hoc est, carnem suam rebellem constringere jejuniis, abstinentia, cilicio, flagello et similibus armis debet; quomodo S. Hilarion a carne tentatus: «Ego te, aselle, dicebat, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam et siti, gravi onerabo pondere, per aestus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites.» S. Hieronymus, ep. ad Principiam, virgines a gentilibus pingi solitas fuisse meminit armatas; propterea quod castitas semper esse armata ad sui defensionem debeat. Arma hæc non tam offensiva, quam defensiva sunt, ad tuendum in castitate corpus, scilicet flagellum, cilicium, funiculi, labor, studium vigiliæ, jejuniis: quibus, velut æneo thorace totum corpus ambiente, non difficile se tutantur qui castitati student.

II. S. Augustinus, l. II. quæstion. evang. c. XXV. vult esse contemptum rerum sæcularium ac divitiarum, adeoque paupertatem. Bene etiam iste. Solebant Judæi talares vestes gerere: unde iter facturi aut alteri ministraturi, accingebant se, ut breviori vestitu commodius id peragerent, ut videre est Luc. XII. et c. XVII. Quis nescit longiores vestes retardare gressum, quod pedes semper feriant? Idem faciunt divitiæ, præsertim immodicæ. Hinc bene Democrates, apud Stobæum, serm. XCI. ait: *Uti vestes talares corpora, ita divitiæ impediunt animas.* Si vestem prælongam habes, sæpe eam pede calcas, indeque a gressu retardaris: si multas divitias habeas, crebro de eis cogitas, sæpe eas volvis et revolvis, itaque mentem a bonis aliis cogitationibus avocas, nec divina curas. Quam ob causam, rogo, corvus a Noe dimissus non rediit ad arcam, columba vero rediit? S. August. quæst. XIII. in Gen. et S. Chrysost. hom. XXVI. in Gen. hanc dant; quia corvus reperit in aquis cadavera, quibus incidens pascebatur; columba nusquam reperit *ubi requiesceret pes ejus.* Hanc ob causam Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes Christum vocantem ad primam vocem mox secuti sunt; quia pauperes erant. Adolescens vero ille dives, vocatus a Christo, quia multas possessiones habebat, quibus innatabat, non est secutus, sed abiit tristis, Marc. X. Eandem ob causam divites illi in parabola Luc. XIV. vocati ad cœnam, eam neglexerunt, præditi amore divitiarum (quia abierunt unus ad villam, alter ad boves suos): pauperes vero, absque mora excusationeque ulla, statim advene-

runt. Versio Chaldaica et Josephus dicunt corvum reversum esse ad Noen, quod Septuaginta et Vulgata negant; sed bene conciliant d. dum aiunt corvum subinde quidem revolasse et sedisse super tectum et cacumen arca, ad Noen tamen et in arcam non intrasse. Qua ratione videmus etiam divites subinde accedere ad rem divinam, confessionem et communionem, verum exigua aut nulla sui emendatione; quia mox revolvant ad sua cadavera: nec intrant in Christi arcam, ut eum præ omnibus ament; sed intrant in arcam suam, ubi est thesaurus et cor eorum.

III. Theophylactus in Luc. c. XXII. vult esse promptitudinem ad faciendam voluntatem Domini, adeoque obedientiam paratam ad omnia. Bene etiam iste: quid enim magis impedit a via perfectionis et sanctitatis, quam propria voluntas et dissoluta vita? Sane equus, dum fræno tenetur ab equite, commode progreditur: at si frænum ei permittatur, ad devia et præcipitia perget. Ecclesiasticus, c. XIII. ait: *Venatio leonis, onager in eremo.* Quid vero onager, nisi homo libertati et dissolutioni deditus? Unde Job XI. de talibus ait Sophar: *Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri liberum se natum putat.* Qui ergo se omnibus legibus et directione superiorum exemptos volunt, vel esse putant, onagri sunt, qui omnes frænum et jugum respuunt. Sed norint se esse in periculoso statu, et expositos venationi leonis tartarei: sicut onagri sunt præda et potissimum pabulum ac venatio leonum. Contra asini domestici securo loco sunt, dum sub fræno et custodia dominorum sunt. Dicit, quare corvi reperiuntur sæpius infixi palis sepium, boves et equi non item; nisi quia illi liberi sunt, ideoque quaquaversum vagantur et omnia septa transiliunt: boves autem et equi vel sub jugo et fræno, vel in stabulo conclusi, vel sub regimine pastoris sunt? Primo Reg. VIII. legimus filios Samuelis declinasse post avaritiam, et evērisse judicium. Ubi quærit Theodoretus, q. XVI. cur Deus non etiam a Samuele penas exegerit, sicut exegerat ab Heli, ob perversos ejus filios, respondetque cum S. Gregorio in eum locum, filios Heli dum sub fræno et potestate parentis erant, bonos et disciplinatos fuisse; at postquam potestate et domo ejus excesserunt, et libertati suæ relictis, foris præfecturas administrarunt, tum primum perversos esse. Ait enim: *Neque hoc sciebat propheta. Nam ipse quidem habitabat Harmathemes: illi vero Bersabee.* Videte igitur quantum prosit esse sub fræno, quantum ob sit libertas. Vidimus ante paucos annos, et hic et in aliis locis, circumduci elephantem, nondum ætate maturum. Hic cum Augustæ in curia ad

spectaculum proponeretur confertissimo populo, impetratum est a magistro ejus, ut eum a vinculo et crasso fune, quo per pedem alligatus erat, solutum, sibi permitteret. Factum ut postulatum, ægre licet. Verum ecce vobis elephas, ubi se liberum vidit, iram mox exerere et adoriri aliquos domini sui servos, a quibus se male acceptum aliquando meminerat: fit fuga et clamor in populo, tantaque confusio, ut alii per scalam præcipites ruerent, alii tantum non comprimerentur et pedibus conculcarentur, alii desultare e fenestris molirentur; nec bestia, nisi oblato dulci vno, sedata et ad vinculum retracta fuit. Ea tibi fructum libertatis, qualem cernimus sæpe in juvenibus, cum patria potestate excedentes nullos amplius magistros habent; unde in omnia vitia proni ruunt. Refert Suidas Eurybatum furem, dum in carcere custodiretur, jussum a custodibus compotantibus specimen edere suæ solertiæ in ædibus conscendendis; initio recusasse ac vix tandem assensum, spongiis ac retinaculis ferreis expeditis, per muros cursim ascendisse, dumque illi mirabundi suspiciunt, superato tecto, prius quam illi circumdare ædes possent, desilisse de ædibus, sicque evasisse. Audite hoc parentes: date libertatem filiis vestris, et fugient disciplinam vestram, vobisque ad extremum ostendent medium digitum, nec poteritis eos amplius sub jugum retrahere. Unde Ecclesiasticus, c. XXX. ait: *Lactu filium, et parentem te faciet.* (Gr. *stupefaciet te lulle cum eo, et contristabit te* (Syr. *et vexabit te*).

IV. S. Cyprianus, l. de unit. Ecclesiæ et exhort. ad mart. preparationem ad mortem significari vult eo cingulo. Recte, et quidem juxta mentem Christi ad litteram. Eo enim tendunt sequentia verba: *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Vult enim Dominus nos semper et per omnia paratos expectare adventum ipsius; siquidem in sperato venit. Dormientes et negligentes famuli, repente adveniente domino, consternuntur, non reperiunt candelam, nec candelabrum, nec lucmen; sicque neglecto officio suo, incurrunt iram domini sui. Id ne contingat nobis, vult Dominus ut omnia ad manum parata habeamus, lucernam eamque accensam, ad hæc manu retentam: fore enim ut ipse veniens, neminem expectet ad pœnitentiam. Lucernam habent, qui fidem habent, non accensam charitate: uti fatuæ virgines, quæ dum pergunt eas accendere, neglexerunt sponsum et nuptias. Accensas habent, qui præter fidem etiam charitatem habent; sed in manibus non habent qui charitatem et gratiam non fovēt ac conservant bonis operibus, et continua vigilantia in oratione, aliisque pietatis stu-

diis. Nisi enim lucerna oleo subinde infuso alatur, nisi emungatur, nisi lychnus promoveatur, neglecta exstinguetur. Denique, juxta mentem Christi Domini, in manibus lucernas habent, qui adventum Domini, in morte sua comparituri, continuo expectant, et quasi singulis horis morituri ad eam sese præparant. Est hæc non minima prædestinationis nota, semper ad mortem et tribunal Dei adendum esse paratum, uti indicat Dominus verbis illis hodierni evangelii: *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Eodem (sensu mystico) tendebat præcinctio Hebræorum in comestione agni jam tendentium in terram promissam: sic enim voluit Deus nos paratos esse ad emigrandum ex hoc sæculo ad Patrem. Paratus erat S. Job, qui dicebat: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immolatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi,* quasi diceret: Paratus sum quandocumque vocaveris ad reddendam rationem, Job, XIV. Quod ut nos quoque singuli faceremus, voluit Deus ex singulari misericordia sua incertam nobis esse mortis horam. Julius Cæsar nunquam prælii aut expeditionis tempus militibus prædixit, ut omnibus horis in prælium descendendum esse putarent, Suet. et Polyænus, lib. VIII. Eandem ob causam Deus summus imperator noster occultam nobis voluit mortis horam, ne, si eam sciremus, occasio fieret illa securitas maxime negligentis et damni irreparabilis.

Vidimus qua ratione præparati et accincti esse debeamus ad iter versus terram promissionis nostræ. Vidimus impedimenta itineris, carnis voluptatem, mundi et opum amorem, libertatem noxiam, denique somnolentiam et salutis nostræ incuriam. Vidimus et cingula, quibus hæc amoliremur, castitatem, paupertatem, obedientiam (quæ ob tria illa obstacula, amplectuntur religiosi per tria vota) denique præparationem ab beatam mortem. Abjiciamus igitur impedimenta illa, abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis, etc.

CONCIO IV.

VARIH DRACONES DEBELLATI A S. SILVESTRO.

I. Tarquinius urbis præfectus. — II. Constantinus Magnus imperator. — III. Synagoga Judæorum. — IV. Gentilium superstitio. — V. Hæreticorum turba.

THEMA.

Apprehendit draconem, et ligavit eum per mille annos. Apoc. XX.

Sanctus Joannes apostolus, qui in sua Patmo futurum Ecclesiæ statum ac progressum vidit, et

in Apocalypsi descripsit, ait c. XX. se vidisse angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua; apprehendisse quoque draconem, serpentem antiquum, qui est Satanas, et ligasse eum per mille annos, et misisse in abyssum. Visio hæc obscura est, et a variis varie exponitur. Sunt qui tempore Constantini hoc contigisse volunt, quibus non difficile assentior, cum ad ipsius conversionem Ecclesia triumphare, idololatria vero sterni et exterminari cæperit. Angelum porro illum si B. Silvestrum dixerit, non multum aberraverit: ipse enim vir vere angelicus, et quasi de cælo ad Ecclesiam gubernandam missus, accepit quidem a Christo non modo claves cæli, sed et clavem abyssi ad includendum draconem, qui Romam infestabat; et catenam magnam ad ligandum Satanam, qui per idololatriam totum pene mundum sibi subjecerat. Quæ quidem hic sanctus fecit, cum baptizato Constantino M. gentilismum depressit, christianismum exaltavit. Hinc jam ab antiquo imago S. Silvestri cum dracone ad ejus pedes ligato pingitur. Neque vero unus tantum est draco, sed complures, quos ipse sub jugum misit, et nos hic referemus.

I. Primus fuit urbis Romæ præfectus. (Tarquinius appellat S. Antoninus, in hist. tit. IX. c. I.) qui cum a Silvestro Timothei martyris, quem hospitio ille exceperat, facultates requireret, ipsi nisi eas depromeret simulque diis sacrificaret, supplicia et mortem in crastinum minatus est. Cui Silvester, prævidens ejus interitum, evangelico verbo respondit: *Hoc nocte animam tuam a te repetent: quæ autem minatus es, non licebit ad effectum deducere.* Quo dicto conturbatus simul et exacerbatum præfectus, Silvestrum in vincula compingi jubet: postea, dum prandet, spina piscis gutturi ejus adhæret; quæ cum nec medicorum nec magorum vi eximi posset, miserum sequente nocte suffocavit. Ita Silvester liber e custodia dimissus est; sique mira rerum commutatione, Silvester e carcere liberatur, et præfectus e prandio cum luctu effertur. Impletum est in præfecto illo, quod ait Ecclesiasticus, c. XIV. *Insa-tiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.* Draco nimirum fuit, qui dum templi prædæ, pecuniæ et animæ Silvestri inhiat, arefecit et suffocavit animam suam. Contigit ei fere, quod draconi illi, quem Daniel interfecit in Babylone, habitum pro deo, injecta in fauces ejus massa ex pice, adipe et pilis confecta; qua draco suffocatus et diruptus est, Dan. XIV. Sententia illa, quam ex Christi ore Silvester desumpsit, similis quædam massa fuit, quæ hunc draconem suf-

focavit, juxta id Hebr. IV. *Vivus est serpens effica, et penetrabilior omni gladio ancipiti.*

II. Secundus fuit Constantinus imperator, qui initio imperii sui, cum adhuc gentilis esset, sane crudelis fuit. Nam: « Ubi Romam venit, ait Zozimus, l. II. apud Baron. an. 424. omnis arrogantia plenus, ab ipso lare sibi sumendum impietatis exordium existimavit. Nam Crispum filium Cæsaris ornatum titulo, quod in suspicionem venisset, quasi cum Fausta noverca (Constantini uxore) consuesceret, nulla ratione juris naturalis habita, sustulit. Cumque Constantini mater, Helena, tantam calamitatem ægro ferret animo, et intolerabilem ex eade juvenis dolorem perciperet, quasi consolans eum Constantinus, malum malo majori sanavit. Nam cum balneum accendi supra morem jussisset, eique Faustam inclusisset, mortuam inde extraxit. » Addit Eutropius, plurimos etiam amicos ab eo interfectos. Denique Ablavius consul, Palatinis foribus affixo disticho, testatus est publico scripto in aureo (Constantini) sæculo: *Neroniana tempora rediisse, Baron. ibid. Colligitur idem ex fuga S. Silvestri in montem Soractem, servantis se meliori Christianorum bono a persecutione adhuc sæviente sub initia imperantis Constantini: item sanguinolento parvulorum balneo, quod instituere parabat; quamquam matrum lamentis permotus, propositum mutavit. Ergo non injuria draco susceptam fidem appellari poterit. Verum ecce quomodo Silvester ipsum edomuerit. Postquam enim Constantinus apostolorum Petri et Pauli apparitione monitus est, ut Silvestrum accerseret et ab eo baptismum susciperet, Silvester nequaquam eum statim, ut rogabatur, admisit ad salutarem illam piscinam, sed: « Oportet (inquit) te prius jejunare, imperator, et Deum placare lacrymis, quæcumque peccasti confitentem. Depone ergo purpuram et diadema septem diebus, et tuæ regniæ penetrale ingressus, clausis januis, in sacco et cinere humi jacens, in luctu age penitentiam: et jube claudi templa idolorum, et cessare eorum sacrificia: qui sunt in exilio et ad metalla damnati, et in carceres con-jecti, libera Christianos. Largire laxationem iis, qui sunt in vinculis et omnibus aliis afflictionibus: sis benignus in eos, qui te rogant, et justas imple petitiones: iis, quas habes, facultatibus impertire pauperes. » Quæ omnia affirmavit se facturum imperator. Post expletam ergo penitentiam septem dierum, cum ad baptisterium accedens se nudasset, carnemque lepra infectam palam ostendisset, suscepto baptismo sanus egressus est, moxque totus a se alius factus: ex superbo humilis, adeo ut suis manibus templi*

fundamenta fodere et terram humeris efferre non dubitaret: ex sævo et feroce mitissimus et humanissimus, etiam erga hostes, et eos, qui statuum ejus lapidasse dicebantur, quibus omnem pœnam remisit, et scelus joco elusit: ex parco liberalissimus in pauperes et templa, quæ ingentibus affectis ac ditavit muneribus: ex impio denique piissimus. Videant hic et discant a summo Romani imperii capite minores alii magistratus et magnates christianam humilitatem et erga Ecclesiæ prælatos obedientiam nequaquam eos dedecere, sed maximum potius decus et laudem parere.

III. Tertius erat duodenarius Judæorum numerus, quos in disputatione publica convicit erroris, simulque fidem christianam comprobavit Silvester, præsentem Constantino et matre ejus Helena: quod præter alios plures testatur Hadrianus papa, in ep. III. ad Carolum M. scribens in ea, Silvestrum: *Tam per sacram Scripturam, quam per miracula, Domino protegente, victorem effectum.* Disputationem illam refert inter alios S. Antoninus, in parte hist. tit. IX. c. I. In ea Judæus quidam magnus Hebraico nomine Dei, in tauri ferocis aurem insurrato, eum quidem occidit, sed ad vitam revocare non potuit; quod tamen Silvester in nomine Jesu Christi statim effecit. Ex hoc porro certamine elucescit in primis vanitas magorum et magicorum carminum; quod notatum a Christianis velim, qui subinde adhuc fidem illis tribuunt et eorum opem implorant. Patet igitur dæmonem ejusque asseclas mortificare quidem posse, quod et bestia possunt, non item vivificare. Cujus rei simile exemplum legitur in vita Sancti Juliani martyris Antiocheni sub Maximo imperatore, apud Metaphrasten et Lipel. 9. jan. Cum enim ex carnificibus sanctum percutientibus quidam oculum sibimet excussisset, Julianus ad Martianum præsidem ait: « Vides hunc miserum scelere suo alterum lumen amississe; nunc igitur, si ea est deorum tuorum, quam prædicas, virtus, jube pontifices et sacerdotes nefandorum deorum, precibus suis lumen amissum restituere. Cum vero manifesto cognoveris, deorum tuorum virtutem nullam esse, ego virtute Domini mei Jesu Christi efficiam, quod illi præstare minime possunt. »

Hac conditionis æquitate convictus præses, vota fieri, et preces surdis lapidibus multiplicari jussit. Sed simulacra Juliani, vero Deo supplicantis, virtutem sustinere non valentia, in pulverem reducta sunt, et dæmones suam ipsorum miseriam horrendis clamoribus testati: *Quomodo, aiebant, nos sempiternis tenebris inclusi, lumen quod non habemus, cæco præstare possumus? Pontifices hæc deorum ruina graviter perculsi, præsi eam nun-*

tiare ausi non fuere. Sed is, ubi ex Juliano rem totam intellexit, furore contabuit, et conversus ad Julianum: « Tu quidem, o sceleste, (inquit), magicis tuis artibus deorum nostrorum patientiam irritasti; qui pro sua in te clementia, pœnas tanto scelere condignas irrogare differunt, ut ad saniorum aliquando te mentem reducant. Nunc vero Christi tui virtutem ostende, et oculum, quem admodum promisisti, amico nostro restitue: sed ut omnem vim fraudis dissolvam, et magicarum artium virtutem extinguam, lotio te perfundi jubeo. Fac (inquit Julianus) quod libet, nunquam enim Dei omnipotentis virtutem superare poteris. » Hæc ubi dixit, lotio totum ejus corpus perfusum est; quod statim, teterrimo fœtore amisso, suavissimum balsami odorem spiravit: tunc e vestigio Julianus, sanctissimo crucis signo oculo impresso, extinctum lumen plene restituit. Martianus vero tanta virtute nihil motus, sed eam magicis artibus impie scribens, novo furore exandescere, supplicia renovari jubet, carnificum increpat, denique eum, qui a B. Juliano, cum corporis lumine lucem animæ, donum quippe christianæ fidei, acceperat, gladio feriri, Julianum vero gravi catenarum pondere oneratum, sub præconis voce per omnes plateas deduci mandat. Ex vita etiam S. Fortunati episcopi Tudertini habemus maleficos, dum obsessa muliere in aquam mersa, incantationibus pellere dæmonem ex ea moliantur, unum quidem expulisse, sed pro eo integram legionem, quæ loco unius miseram invasit, accersivisse. Quam ad extremum liberatam a S. Fortunato scribit S. Gregorius M. l. 4. dial. c. 10.

IV. Quartus erat gentilium superstitio, qua draconem Romæ in specu latitantem habitu suo civibus noxium, ab illis tamen persuasionem sacrificulorum pro numine quodam cultum, inclusit in nomine Domini, adeoque enecuit, seu fame, seu nece subita. Cujus rei memoria adhuc extat Romæ ad radices Capitolii in templo, quod vocatur *S. Maria libera nos de pœnis inferni*, ut refert P. Cornelius, in c. XIV. Dan. Plures alii sancti sustulere suis precibus dracones et hujusmodi serpentes, ut habet Baronius, an. 324. Verum S. Silvester una cum hoc dracone sustulit etiam gentilium superstitionem, ipsumque gentilismum, magna saltem ex parte. Una enim cum Constantino adduxit ad fidem quam plurimos Romanos effecitque ut spelunca draconis fieret templum B. Virginis, et Roma spelunca superstitionum et idolorum fieret caput Ecclesiæ et domus sanctorum.

V. Quintus erat caterva hæreticorum, qui, Judæis et gentilibus jam depressis, Ecclesiam vexare cœperunt. Fuit autem in primis Arius, quem,

habito Concilio Nicæno, missoque ad id Hosio episcopo Cordubensi legato suo, in conventu 318. episcoporum, et rursus altero 284. episcoporum Romæ habito, condemnavit. Neque solum hoc, sed præterea Ecclesiam catholicam mirifice exaltavit; notisquam Constantinus passim ædificari templâ et jussisset et permisisset, eaque magnifice dotasset, pontificiam præsertim sedem Romæ stabilivisset et potentia firmasset, cedendo ei Romam et secedendo Byzantium ubi alteram sibi Romam strueret (ut multi antiqui scribunt) quo nimirum Ecclesia se conservare et contra gentiles, atque hæreticos defendere ac tueri posset. Ferit hoc adversariorum oculos, qui papam ejusque clerum Petro et aliis apostolis inopia parem optant, ut ipsi libitu suo vivere, spretis et subactis Ecclesiæ prælati, possent. Verum id neque rationi, neque sacrarum litterarum vaticiniis consentaneum erat. Primum agnovere ipsi reges et imperatores, qui id circo Ecclesias et episcopatus tot redditibus vallarunt, uti post Constantinum Carolus M. in Gallia: *Ne sancta Dei Ecclesia hujus sæculi potentibus subjaceret, aut tyrannidem eorum pavesceret: imo super horum colla Dei virtute superior calcaret*, ait Stephanus abbas Leopoldiensi, in vita S. Modaldi, apud Sur. 12. maii. Deinde, prædixit id Isaias imprimis, c. LX. cum ait de Ecclesia novæ legis: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et in generationem. Super lac gentium (Chald. satiaberis divitiis populorum); et mamilla regum lætaberis (Septuaginta habent: Divitiis regnum comedes), et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.* In superbiam sæculorum posita est Ecclesia, cum ei Roma caput mundi et sedes imperatorum sponte se subiecit, et cum ea totus orbis Romanus, ita ut reges ipsi honorem deferrent, et genua sua flecterent. In

gaudium vero, cum iidem reges et principes magis sibi gavisi et gatulati sunt, quod essent filii Ecclesiæ, quam quod essent reges et imperatores, uti fassus est Theodosius senior imp. et S. Ludovicus Gallia rex. Sugit lac gentium, dum regum opibus et piis foundationibus enutritur et augetur, quod etiam, c. XLIX. dixit Isaias: *Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram dimisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingeant.* Denique, hoc etiam spectat ad Christi Domini gloriam, ut citato loco postremis verbis indicat Isaias: *Et scies, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.* Quis enim non miretur Christi potentiam, qui sua, quam in hoc mundo elegit ac tenuit, paupertate Ecclesiam suam adeo ditavit, non armis aut potentia, sed spontanea regum principumque liberalitate; ita ut non modo suas facultates, sed etiam seipsum ad Ecclesiæ, apostolorum et pontificum pedes abjicerent? Unde enim Ecclesiæ illa divitiarum affluentia, summi pontificis majestas, S. Petri opulentissimum patrimonium, cardinalium amplitudo, episcoporum dignitas, potentia et principatus, prælatorum splendor, monasteriorum opulentia, canonicorum optimi redditus, militarium ordinum prima nobilitate, divitiarum templorum, altarium sacrarum utensilium nitor et pretiositas, nisi Domini paupertate? *Quoniam propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut alius inopia vos divites essetis*, ait apostolus, II. Cor. VIII.

Laudemus ergo virum hunc gloriosum, tot draconum debellatorem, laudemus parentem nostrum, per quem habemus imperium Romanum, christianum et catholicum: habemus etiam nos, quod devicto illo stygio dracone, Ecclesiæ filii simus et hæredes regni cælestis, etc.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

EVANGELIUM MAJUS. LUC. II.

POSTQUAM consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ad angelo, priusquam in atero conciperetur.

CONCIONES.

- I. Qua ratione Christianis novum annum, inchoare conveniat.
- II. Quid in novi anni auspicio cogitandum Christiano.
- III. Veteris hominis renovatio quomodo facienda.
- IV. De spirituali totius hominis circumcisione.
- V. De dignitate et veneratione nominis Jesu et abusu cavendo.
- VI. Vis et efficacia nominis Jesu.
- VII. Qua ratione omnes Christiani possint, ac debeant esse Jesuitæ.
- VIII. Dei nostri clementia.

- IX. Quid doceat nos Christus in sua circumcisione.
- X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Variarum strenarum varietas optantur.
- II. Non fidendum anno.
- III. Quid agendum ut bene succedant anni futuri.
- IV. Præsentia pro futuris annis.
- V. Nomen Jesu balsamum salutiferum.
- VI. Poderis Aaronis, quæ est fidelium Ecclesia sancta, Christo in ænium petitur.

CONCIO I.

QUA RATIONE CHRISTIANIS NOVUM ANNUM INCHOARE CONVENIAT.

- I. A negotio animæ. — II. A novo consulatu. — III. A pace. — IV. A mutua charitate. — V. A cultu et favore Christi.

THEMA.

Consummati sunt dies. Luc. II.

Miris ac variis ritibus celebrabant hodiernum diem, anni scilicet primum, gentiles, nec alia de causa, nisi quod sibi persuaderent, totum anni decursum fore sibi prosperum, si hunc primum diem faustum, lætum ac tranquillum transegissent. Quæ persuasio cum mera superstitio esset, merito damnata est a Concilio Romano, sub Zacharia papa XXVI. q. VII. *Si quis calendas.* Cæterum nos si Christianorum more, recta intentione et spirituali fine, sive ad Dei gloriam, sive ad animarum nostrarum salutem diem hunc præ cæteris observemus et piis virtutum actibus initiemus, non modo nihil damnatione dignum ageremus, sed etiam id quod laudabile et christiano homini conveniens, merito existimari deberet. Suadet hoc hodierna dies, quæ cum anni prima

numeratur, majorem in nobis fervorem ad pie vivendum gignere deberet; siquidem omne initium fervet, et dimidium facti, qui bene cepit, habet. Suadet solis cursus qui ante paucos dies iter suum vertere, et ad nos rursus ascendere incepit, hoc ipso nos quoque monens, ut si hactenus a Deo discessimus, et ad terram adeoque versus infernum descendimus, nunc tandem emergere incipiamus et reverti ad Deum et patriam nostram cælestem. Suadet lex divina olim Hebræis data, præcipiens ut calendæ cujusque mensis tubarum sonitu, et sacrificiorum oblatione solemnes essent, Numer. XXVIII. et X. tum ut hoc pacto primitias temporis et mensium Deo offerent, tum ut a Deo per sacrificia et preces decursum totius mensis faustum et salutarem impetrarent, tum ut per hæc beneficium gubernationis divinæ recolerent. Quo ipso et nos monemur, ut similiter primitias anni Deo consecremus singulari pietate, faustum anni decursum ab eodem impetremus, et pro acceptis beneficiis gratias ei agamus quam maximas. Suadet denique Christi Servatoris nostri exemplum, qui sine dubio, non absque arcano consilio diem hunc anni primum circumcisione sua, itemque sacratissimi nominis sui impositione, non octava natalis sui condecorare voluit. Existi-